

*[Faint, mostly illegible handwritten text in a medieval script, likely Gothic or similar, covering the majority of the page. The text is arranged in several columns and includes some red initials and underlines.]*

*[Vertical text on the right edge of the page, possibly a marginal note or a page identifier.]*

*[Vertical text on the far right edge of the page, possibly a page identifier or a reference.]*





M-s. 1297

anf.

R

2197.6

F. A. H. Maas  
1831 oho



73  
ELEGIA DE FE-  
STO MARIAE MAGDALENÆ, IN  
QVA PROPOSITVR IMAGO VERÆ POENITEN-  
tiæ & conuersionis ad Deum, Scripta ad ornatissimum  
uirum, prudentia & uirtute præstantem, Christophorum  
Reinhardum Iuris utriusq; Licentiatum, & Cancellar-  
ium generosi, & illustris comitis Iohannis Al-  
berti Domini in Mansfelt

A  
IOHANNE RICARDO  
Mansfeldensi.



VVITTEBERGÆ  
EXCVDEBAT IOHANNES  
CRATO,  
ANNO M. D. LVII.







ORNATISSIMO VIRO, PRV-  
DENTIA ET VIRTUTE PRÆSTANTI, CHRISTO-  
phoro Reinhardo Iuris utriusq; licentiatō, & cancellario  
illustris & generosi Comit̄s Iohannis Alberti Do-  
mini à Mansfelt, Domino suo plurimum cō-  
lendo. S. D.

Hic ego dum uiuo studijs addictus honestis  
Albiacæq; colo culta lycæa scholæ,  
Ingenij interdum steriles exerceo uires  
Aonijsq; iuuat ludere pauca modis.  
Hæc quoq; quæ sacro referunt ex fonte salutem  
Atq; docent, uiuat, qua ratione pius  
Ut potui scripsi, mihi cum natura negarit  
Maxima, quæ possum hæc inferiora sequor  
Materies digna est, quam tu cum mente reuolues  
O uir consilij & pietate grauis,  
Inceptis faueas, hilariq; hæc accipe uultu  
Quæ gaudent tituli nomen habere tui  
Perlege cum curis fueris & mole laborum  
Liber, & aula animum non remorata tuum.  
Tu patriæ prodes, doctocq; excultus ab usu  
Non minus arte potens consilioq; uales  
Ingenuas igitur prudens amplecteris artes  
Mularumq; Choris ingenijq; faues,  
Viue sine inuidia longos foeliciter annos  
Ipse Deus præsens tecq; tuosq; tegat

T. Addictiss:

Iohannes Ricardus  
Mansfeldensis.



ELEGIA SCRIPTA DE FE-  
STO MARIÆ MAGDALENÆ, IN QVA PRO-  
ponitur imago ueræ pœnitentiæ & conuer-  
sionis ad Deum.

Iam quoq; sacra dies læto sub tempore messis  
Mente pia Sanctis concelebranda uenit,  
Non his sit squalor nec spreta silentia sacris,  
Sunt hîc quæ grauitè nos monuisse queunt.  
Magdalena tui series redit inclÿta festi,  
Non tamen historiam commemorabo tuam,  
Non genus, aut patriam primæ & cunabula uitæ,  
Non ea, quæ gestis sunt referenda, canam.  
Diceris esse soror Marthæ, cui Lazarus olim  
In uitam redijt iam tumultatus humo.  
Sed diuersa placet multis sententia doctis  
Qui uitant generis Lazare probra tui.  
Verum res nihil hæc quicq; nos impedit, illud  
Spectamus, quod nos erudisse potest.  
Te tamen haud genitam spreto de sanguine gentis  
Hoc tua non dubia nomina uoce notant,  
Est tibi Magdali dictum de nomine nomen  
Indè fati generis splendet imago tui.  
Illustri exemplo monstras conuersio cordis  
Quos habeat motus qua recreetur ope.  
Hæc ego si qua mihi data sit facundia linguæ  
De festo cuperem concelebrare tuo,  
Sed quia mens torpet terrenis obruta fumis,  
Lingua nec est magnas res fati apta loqui,

Sub



Submissus serpo, cautusq; hæc omnia tracto  
Quæ sunt ingenij prosperioris opus  
Attamen incipiam, quæ possum, pauca referre  
Inceptis faueas spiritus alme meis.  
Ad Solymam Christus cum uictima tenderet urbem  
ut soluturus iam preciosa patri,  
Fit simul orantis gratus conuiuia Simonis  
Quem mundum à lepra fecerat esse prius,  
Non hæc te latuit res Magdalena, Deiq;  
Instinctu subito corripis indè uiam,  
Ad Christum properas quem cunctis esse saluti  
Audieras, illo uis releuante frui,  
Cumq; ita proposito currens insistis eodem  
Adiuuat interius te simul ipse Deus,  
Ergo quæ iuuenum tibi mens feruebat amore,  
Nunc alias flammæ concipit igne nouo,  
Mœsta tibi mens est uitamq; exosa priorem  
Angeris, & reprobas quæ placuere prius,  
Ante pedes Christi pleno suffusa rubore  
Effundis lachrimis flumina larga tuis,  
Cor dolet, & culpæ nimio constricta dolore  
Mens gemit, & sensu uult renouante frui,  
Pectus anhelat opem, delicti mole grauatum  
Acq; suis mundum sordibus esse cupit.  
In tanta lucta fidei scintilla relucet,  
Et uincit pavidos spe superante metus,  
Accedit placidum saluantis munere Christum,  
Qui nostris datus est portus & aura malis,

A iij      Hoc



Hoc se sustentat tanto in discrimine luctæ  
Succumbat uicijs ne labefacta suis.  
Ceu perit auersus trepidanti pectore ludas  
Qui gemitu indignans in sua damna ruit,  
Atq; DEVM spernit, fugit, auersatur & odit  
Iniusticq; ipsum nomen habere putat.  
Magdalena tuum pectus se exuscitat intus  
Atq; fide Christum saluificante capit.  
Testatur Dominus te cum solatur, & ægram.  
Erigit, & uitæ nuncia uerba sonat.  
Seruauit mulier fidei te nobilis ardor  
Fide, Deo rursus conciliata tuo es.  
Sic sic seruaris, uicijs ita libera uitam  
Accipis, & placidæ gaudia mentis alis.  
Non etiam cessas, fidei obsignacula gestans,  
Nec pateris cæca nube latere fidem,  
Militiam exerces, fidei qua flammula crescat  
Inq; Deo maneat non fugitura suo  
Ac ne fortè Deum per turpia crimina uitæ  
Offendas, animo est anxia cura tuo.  
Diligis & suaues ex pixide promis odores  
Atq; ungis Christi leniter ipsa pedes,  
Halitus inde uenit dulciq; impleta liquore  
Tota domus, latas spargit odore uias  
Sic quoties nostri contrito in pectore sensus  
Interius mentem, specq; metuq; premunt,  
Et nos affligunt, multisq; doloribus angunt,  
Et sitiunt uero ex fonte salutis opem,

Atq;



Atq̄ fide pugnant sola, Christumq̄prehendunt,  
Auxilium uitæ præsidiumq̄ suæ:  
Tunc λόγος in nobis præsens solatia dicit,  
Perq̄ ministerium nos sua membra facit,  
Per uocem externam nobis fiducia crescit  
Atq̄ datur uitæ iusticiæq̄ decus.  
Lux uenit, horrores pelluntur, & omnia cedunt  
Quæ nos in tenebris detinuere prius,  
Spiritus ipse facer sibi nos domicilia iungit  
Iamq̄ simul cœli mente tenemus opes,  
Sanguine mundati Christi, seruamur ab ira  
Et capimus uitam læticiæq̄ nouam.  
Hæc hodierna pijs depingit concio festi  
Qui sapit, hac monitus discat amare Deum  
Atq̄ suos mores, pollutæq̄ crimina uitæ  
Emendans, placet per pia uota Deum,  
Ac pugnante fide, Christum, sua dona, sequatur  
Qui nunq̄ oranti durior esse potest  
Sed nos dignatur Venia nostramq̄ salutem  
Expedit, & quærit dedita membra sibi.  
Non secus ac pastôr per deuia lustra ferarum  
Quærit ouem, & gressum uoluit ubiq̄ suum,  
Anxius ipse gregem sola sub ualle relinquit  
Inq̄ suo studio mens ita fixa manet,  
Donec ouem inueniat dubia regione uagantem  
Et quam penè neci uasta ruina dedit  
Tunc uero lætus plenis amplectitur ulnis,  
Spemq̄ suam gestat qua uia lata patet,

A iij

Ceruis



Ceruici imponit, stabuloq; adiungere rursus  
Gaudet, & effusæ gaudia mentis alit.  
Sic quoq; cum iustas metas excedimus ipsi  
Et nos per præceps deuius error agit  
Christus adest pastor, lapsumq; reducere gaudet  
Ne pereat regni pars quotacuncq; sui  
Non spernit miserum cæcis erroribus actum  
Tam bonus est pastor duxq; paterq; Deus,  
Haud aliter David fidei capit arma Deoq;  
Redditur, & duro uincit agone metus,  
Non secus undanti si quis iam uortice raptus  
Fluctuat Euripos inter & inter aquas,  
Tunc si fortè uidet ramum florentis oliuæ  
Aut quodcuncq; aliud proxima ripa tenet,  
Hoc se sustentat, uixq; eluctatur ab undis,  
Submersus pereat ne uiolenter aquis,  
Sic David uerbi promissa tenaciter urgens  
Ex medio irarum turbine liber abit,  
Et sic emergit ne desperatio uincat,  
In mortemq; metu præcipitante cadat.  
Huc age quisq; doles nimium uitiosus & æger  
Hic uitæ discas commodiora sequi  
Quærè uiam & lucem lux & præcurret euntem  
Errantem nescit fallere Christus ouem  
Gratior est cultus quam uictima cæsa per aras  
Mens quæ sollicito plena dolore gemit,  
Et pugnante fide surgit uincitq; pauores  
Et Christum sensu uiuificante capit

Hoc



Hoc quicumq; potest animo præstare fideli,  
Hic coelum tali pro pietate feret.  
Non premet hunc tenebris Stygiæ caliginis umbra  
Et summum cernet luce micante Deum  
Namq; Deus iurans iurando hæc omnibus offert  
Cum diuina facer uerba propheta canit:  
Viuo ego uiuo deus non iudex expeto mortem  
Quam luat offensa pro pietate reus,  
Ad lucem redeat uitæ delicta prioris  
Emendans, dabitur sic sine fine salus.  
Viuius ergo fide pia per preconia Christe  
Credimus ablutos nosq; cruore tuo.  
Flexibilesq; animos sanat spirabile numen  
Lætitiæq; pios exuperante fouet.  
Hinc pia cura Dei sequitur, qua nititur uni  
Sancta redemptori mens uigilare suo,  
Militiæq; bonum studet exercere laborem,  
Ac fidei saluum uult retinere decus.  
Nec se commaculat, nec pectus fauciat ultrò  
Dum ruit in uitæ facta priora suæ.  
Præcipuè Christo lachrimis stillantibus astat,  
Ipsiuseq; pedes imbre fluente lauat.  
Curat, ut in tantis Ecclesia mœsta periclis  
Dissidijs miserè dum lacerata gemit,  
Auxilium accipiat, grauis & releuamina luctus  
Non deformat eam scandala dira ferens.  
Sed fouet atq; adhibet tantis medicamina curis,  
Vulnera ne serpent continuata diu.

A v Hei



Hei mihi c̄p̄ nunc est ecclesia squalida, quantum  
Ipsa mali patitur quanta pericla subit,  
Dum latē extendunt uictricia fata furorem  
Atq; ipsos sanctos exitiosa premunt  
Qualis erat quondam Iudææ tristis imago  
Cum facer hæc Vates templa per ipsa uidet.  
Ingentem turbam uidet hīc idola colentem  
Et paucos mœsto qui simul ore gemunt,  
Audit & ex alto sibi uerba sonantia coelo  
Ingredere o Vates in mea templa pius,  
Exere uim mentis, peruersam interfice gentem  
Sed parcas illis qui sua damna gemunt.  
Nunc quoq; sancte Deus pollutam interfice turbam  
Quæ gaudet nomen contemerare tuum.  
Sed parcas nobis tua quos fouet aura fauoris,  
Qui gemimus nostri conscia turba mali,  
Non sine peccatis & ab omni labe remoti  
Viuimus, heu nimium nos quoq; culpa grauat  
Sed pauidi gemimus, Sacræq; incumbimus aræ  
Nos igitur dextræ protegat umbra tuæ.  
Ad te nos nostras mentes conuertimus ultrò,  
Tu Deus es pastor tu tua membra tegas.

F I N I S .



# QVERELA ECCLESIAE

QVÆ EXTAT ESAIÆ CAP 49.

uersibus compræhensa.

Fletibus tristem madefacta uultum  
Protulit tales titubante lingua  
Ad Deum uoces medio dolore  
Nata Sionis.

Ecce tabesco lachrimis in ipsis  
Deficit uirtus teneræ iuuentæ,  
Scandalis intus lacerata multis,  
Saucia plango

Interim cessas Deus o supreme  
Et quasi somno resolutus esses  
Ad meas uoces lachrimasq; duram  
obstruis aurem

Quo tuus nunc fugit amor paternus?  
Scilicet pulsus tenues in auras  
Cessit, ætatis simul ingrauescit  
Dum graue pondus

Erigens dictis Deus hanc amicis  
Quo maris fluctus refluui serenat  
Inspicit uultu, subitiscq; uerbis  
Talia profert

Si suam prolem mulier repellat  
Et feras ipsas rabiosa uincat,  
Non sui Ventris miserata partum  
Turbine pressum.

Forte



Forte te luctu nimio grauata  
Deseram, auersusq; sinam perire  
Nec tuis damnis mihi erit mederi

Anxia cura

Si tamen tanto genitrix furore  
In suam prolem ruat ut scelesti  
Exuat <sup>soprae</sup> animiq; sensum

Saxea mutet:

Me tui nemo immemorem seueris  
Arguet dictis, tua tecta seruo  
Sub meis alis generosa semper

Tuta manebis.

F I N I S.



153028

✓

AB: 153028

ULB Halle

3

003 486 044



86






*[Faint, mostly illegible handwritten text in a medieval script, possibly Gothic or Carolingian minuscule. The text is arranged in columns and includes several red initials and red horizontal lines.]*







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black



23

DE FE  
ALENÆ, IN  
ERÆ POENITEN-  
ta ad ornatissimum  
em, Christophorum  
atum, & Cancellar  
s Iohannis Al  
sfelt

CARDO



R G Æ  
HANNES

LVII.

